bellinis, Chronico fratris Salimbeni et Annalibus Regien-
sibus, cum Pauli Diaconi Historia Langobardorum et
libro illo de laudibus virginitatis, quem composuit
Aldhelmus episcopus Salisburiensis.

Atque etiam aliquot instrumenta publica et
litteras operi inseruerunt (ut Innocentii III ~~de~~
anni 1204, imperatoris Balduini, ducum crucesigna-
torum annorum 1218-1219 et relationem de synodo
Romana a. 1215), nonnullis tamen verbis aut
additis aut omissis. Neque est dubium quin auctor
vel auctores interdum falsa ~~retulerint~~ atque etiam
fictis fabulis fidem habuerint. De versibus denique in
Chronici textum receptis ut paucis moneam, additi
esse videntur ab ipso auctore, non ut v. cl.
Wattenbachius opinatus est, partim ex alio anti-
quiore fonte deprompti.

Quodsi quaeris quid senserit scriptor de ratione inter impera-
tores et papas intercedente, cum Friderico I favet tum filio eius
Henrico VI, sed nihilominus Alexandrum III pro papa
iusto ~~vero~~ ac legitimo habet. Iniquissimum autem se exhibet Chri-
stiano archiepiscopo Maguntino. In enarrandis certa-
minibus Faventinorum et vicinarum civitatum a parte

cu.